



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

LCXIII. [i.e. CLXIII] Bischof Ludwig von Halberstadt schließt sich Appellation
an, am 31. Mai 1359.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

a dictis Sententiis — ad sedem apostolicam — prouoco et appello etc. — Qua quidem appellationis cedula non dum totaliter lecta memoratus dominus hoyerus personaliter vna cum domino bernardo vryer Subexecutore suo dictum chorum ecclesie Sancti Nicolai in Stendal accessit et intravit, quibus idem dominus Johannes de Santerслеue dicta appellatione Seu cedula appellationis interposita et publicata et integraliter perlecta Statim et in continenti eandem appellationem denuo interponendo et legendo alta voce et intelligibiliter intimavit, insinuavit et notificavit ac eisdem legi ipsam petentibus et audientibus publicavit et me notarium infra scriptum requisivit, ut sibi de premisis conficerem vnum vel plura publica instrumenta. Acta sunt hec ut supra Presentibus honestis viris et discretis domino Cunrado duferi Canonico dicte ecclesie Sancti Nicolai et plebano ecclesie Sancte Marie ibidem in Stendali, Cunrado Swederi plebano ecclesie Sancti Jacobi ibidem, Alberto de lucen, Sancti Johannis baptiste, Petro de norstede ecclesie sancti Jacobi in Stendal, diderico de cimiterio et Nicolao verchlant in ecclesia Sancti Nicolai predicta perpetuis vicariis, hinrico bucholt, bethekino Kasteli et Cunrado haken opidanis in Stendali et pluribus aliis fide dignis tam clericis quam laicis testibus ad premissa vocatis Specialiter et rogatis.

Et ego Ecbertus dictus de zentfelde clericus Monasteriensis dyoecesis, publicus auctoritate Imperiali Notarius etc.

LXIII. Bischof Ludwig von Halberstadt schließt sich dieser Appellation an, am 31. Mai 1359.

Ludewicus, dei et apostolice sedis gratia Electus Ecclesie Halberstadenfis, Dilectis nobis in Christo Ecclesiarum parrochialium altariumque Rectoribus per diocesim nostram Halberstadensem constitutis — Nuper pro parte honorabilium virorum, dominorum decani et Capituli Ecclesie sancti Nicolai in Stendal, nostre diocesis, nobis fuit querulose relatum, quod licet alias, cum discretus vir dominus Hoyerus valke, opidanus in Stendal, quandam prebendam in eadem Ecclesia virtute gratie sue a sede apostolica impetrata ac processum desuper factorum ab ipsis postularet, ipsi iustis ex causis et rationabilibus ad sedem apostolicam appellarent, dictus tamen Hoyerus volens infringere consuetudines ipsius Ecclesie juratas et a principio et per tempus, cujus contrarii memoria non existit, infracte observatas, ipsos nondum desinit perturbare; Quapropter nobis idem decanus ac capitulum, quatenus prefate appellationi adherere dignemur, cum instantia supplicarunt. Volentes itaque iustis ipsorum petitionibus annuere, quia ipsam appellationem rationabilem et ex iustis causis interpolitam invenimus, eidem appellationi tamquam rationabili ac jam dictis dominis tenore presentium duximus adherendum, mandantes vobis et cuilibet vestrum, ne aliqua mandata extranea siue processus contra prefatos dominos pendente dicta appellationis causa publicetis, sed in talium mandatorum suscepcione synodalia nostra instituta districte observetis, scituri contrarium facientes nos condigna ulcione plectendos. Copiam autem jam dicte appellationis petentibus prestabimus debite requisiti. In quorum testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum anno domini M^o. CCC^o. LIX. feria tertia in rogacionibus.